

Oratio.

DEus, qui arianam pravitatem doctrina sancti Confessoris tui atque Pontificis Leandri ex Hispania propulisti: da plebi tuae, ut ejusdem meritis et precibus ab omnibus errorum et vitiorum labe semper libera conservetur. Per Dominum.

Comm. praec. et Feriae.

In j. Nocturno, Lectiones. Sapiéntiam. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex B. Isidoro, et Sanctorum Hisp. historiis.

LEander, Carthaginense ex patre Severiano, viro clarissimo, ejusdem Carthaginensis domino ortus, fratres habuit sanctos Episcopos Isidorum et Fulgentium sanctitate, et doctrina praestantissimos, et Florentinam Virginem. In eo a teneris annis castissimae luxit integritas vitae et morum gravitas maxime venerabilis, quam incomparabilis ingenii claritas illustrabat. Gliscente eo tempore haereticorum furore sub Visigothis principibus, qui cum imperio arianam impietatem in Hispaniam invexerant, et ejus Ecclesias misere vexabant, publicae vitae peritaeus adolescens in reli-

giosum monasterium recepit, ut in proposito perfectioris instituti sanctius Deo inserviret, et piis studiis et meditationibus in tranquillo sese exerceret. In eo sanctitate et doctrina a deo profecit, et in omni genere virtutum divinisque et humanis litteris conspicuus evasit, ut Isidorus germanus suus ad Claudium ducem, de quibusdam articulis ad fidem pertinentibus instruens, scripserit: Meménto communis nostri doctoris Leandri, et ejus fidem atque doctrinam pro viribus imitare. Sed noluit Deus tam splendéntem pietatis et doctrinae lucernam in occulto delitescere, sed in fastigio Ecclesiae positam Hispaniae praelucere: nam clero et populo exposcente, a monasterio avulsus, Episcopus Hispalensis creatus est.

R. Inveni David.

Lectio v.

Suscéptam Ecclesiam omni cura ac sollicitudine gubernavit: cleri et populi mores ad arctam disciplinam traduxit: sollemnina Ecclesiae officia, hymnodiam, sacrae Missae ritus precésque, quibus eo tempore omnes Hispaniae Ecclesiae utebantur, ordinavit et auxit. A perse-

quenda ariana haeresi praedicatione numquam destitit. Monasticum ordinem Benedictinum amplificare in Hispania cepit, ac sorori suae Florentinae regulam pro institutione virginum dedit. His et aliis mire gestis, Constantinopolim pro causis fidei Visigothorum legatus profectus est: ubi ob eximiam religionem et doctrinam apud sanctum Gregorium, Romani Pontificis apocrisarium tunc ibi degentem, tanti habitus fuit tantaque amicitia illi conjunctus, ut ad Romanam sedem postea promotus, cum Leander in Ecclesiam suam jam fuisset reversus, pallii ornamentum miserit, frequentibus epistolis illum honoraverit, libros in Job, quos illi dicavit, una cum pastoralis, his litteris benevolentia plenis ad ipsum transmisit: Quanto ardore videre te sitiam, quia valde me diligis, in tui tabulis cordis leges. Sed quia longo terrarum spatium disjunctum te videre nequeo, unum, quod mihi de te dictavit caritas, fuit, ut librum regulae pastoralis, quem in episcopatus mei exordio scripsi, et libros, quos in expositionem beati Job jam dudum me

fecisse cognovisti, sanctitati vestrae transmittere curaverim.

R. Posui adjutorium.

Lectio vj.

SAncto ergo Praesule suae Ecclesiae restituto, vix enarrari possunt, quae pro gloria Dei proque eliminanda haeresi ariana laboravit. Hermenegildum enim nepotem suum, Leovigildi regis filium, sermonibus suis haud solum ad fidei confessionem perduxit, sed ut glorioso sanguinis testimonio illam confirmaret, adeptus fuit. Inflammatus furore pater in Leandrum et in omnes adhuc Ecclesias, exsilio eum mulcavit, et illas facultatibus et pastoribus orbatus reliquit. Nec tamen destitit cum fidei hostibus libere decertare. In ipso siquidem exsilio, ut frater suus Isidorus testatur, duos libros eruditissime sanctarum Scripturarum ditissimos scripsit, quibus eorum perfidiam confutavit. Affulsit tandem Ecclesiae post illam nubem optata serenitas. Rex enim cum in morbum incidisset, sub mortem in meliorem mentem (licet non ut oportebat) reversus, Leandrum cum aliis Episcopis ab exsilio revocari jussit, eique Rec-

carédi filii curam dedit. Defuncto patre piissimus Reccarédus doctrinam, consilia et exempla Leándri secútus, ejus ópera Gothos ad fidem convértil mirábiliter fuit adéptus. Leánder ergo cum tam miram conversiónem vidisset, Hispaniæ Episcopos in Toletánam synodum convenire omni sollicitudine promovit, quod et Reccarédus máxime curávit. In eo enim concilio duobus supra sexaginta Episcopis congregáttis, et omni clero, primáriis regni, étiam et ipso rege assidentibus, ariana hæresis fuit damnata et abjurata, et fides catholica ab omnibus unanimiter suscepta, et uno ore laudata. Leánder igitur elegantissima concione Patribus de gentis conversióne congratulátus est; multaque ad fidem, et disciplinam Ecclesiæ sancióndam tum in eodem concilio, tum in alio, quod póstea Híspali celebrávit, constituénda dispósuit. Demum religióne restituta et Ecclesiæ pace firmata, jam octogenário major, cum Ecclesiam quadraginta et amplius annos rexisset admirabili vitæ ac sanctitatis exémplo, migrávit ad Dóminum. Sepúltus

fuit in basilica sanctarum Virginum Justæ et Rufinæ: póstea ejus corpus in Híspalensem ecclesiam translátum est.

R. Iste est.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia sancti Isidori Episcopi Híspalensis.

Ex lib. 3. Sent. cap. 36. et 42.

PAM doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita arroganter reddit: vita sine doctrina inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ita ut quod docet verbo, instruat exémplo. Vera est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum quod quisque sermone prædicat, explere opere negligat. Tunc enim utiliter prædicatio profertur, quando efficaciter adimplétur. Unusquisque

doctor et bonæ actionis et bonæ prædicationis habere debet studium. Nam alterum sine altero non facit perfectum: sed præcedat justus bene agere, ut sequenter possit bene docere.

R. Amavit eum.

Lectio viij.

Omnis utilis doctor pleribus subjectis ita se prestare debet atque insistere doctrinæ, ut quanto claret verbo, tanto clarescat et merito. Nam quod Apostolus Timotheo præcipit, cum omni imperio docere, non hortatur ad tumorem superbiæ, sed ad bonam actionem et vitæ auctoritatem: videlicet ne libertatem perderet prædicandi, si bene doceret, et male viveret. Unde et Dominus: Qui solverit unum de mandatis istis minimis et sic docuerit, minimus erit in regno cælorum. Vides quod auctoritate magisterii caret, qui, quod docet, non facit. Sicut in numismate metallum, figura, et pondus inquiritur, ita in omni doctore ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quomodo vivat. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram similitudo Patrum, per pondus humilitas designatur. Qui

vero ab his tribus discrepaverit, non metallum, sed terra erit.

R. In medio.

Lectio ix. de Homilia et Comm. Feriæ. Si tamen de hoc Festo fiat post Pascha, Lectio ix. erit seq.

Lectio ix.

QUI præficatur ad regimen, taliter erga disciplinam subjectorum prestare se debet, ut non solum auctoritate, verum étiam humilitate clarescat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne dissolvatur vita subditorum in vitis: atque ita auctoritas aderit potestatis, ne per tumorem cordis severitas exsistat immoderationis. Hæc est enim in Dei Sacerdotibus vera discretio, qua nec per libertatem superbi, nec per humilitatem remissi sunt. Hinc est, quod Sancti cum magna constantia redarguerunt étiam principum vitia, in quibus cum summa esset humilitas, loco tamen necessario libere transgressores justitiæ increpabant. Aliquando subditis nos oportet animo esse humiliiores, quoniam facta subditorum judicantur a nobis, nostra vero Deus judicat. Agnoscat Episcopus, se esse conservum plebis,

non dōminum verum : hoc caritas, non conditio exigit.

Te Deum laudamus.

In ij. Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced. et Feriæ.

DIE XIV. MARTII.

S. Florentinæ

Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

Oratio. Exaudi nos.

Commem. Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones. De virginibus. de Comuni.

In II. Nocturno.

Leccio ib.

Lorentina virgo, quæ et Floréntia, Carthagine in Hispaniis ex illustri prosapia nata est, paréntibus Severiano Carthaginien-sis provinciæ duce, et ejus uxóre Turtura, qui etiam Leándrum, Fulgéntium et Isidórum, Episcopos doctrina et sanctitate célebres, ac Theodóram, Leovigildi regis uxórem, genuerunt. Hæc sancta virgo fidei dogmátibus imbúta, móribus et sanctitate præclára, ac singulári acúmíne ingénii prædita, Leándro fratre magistro multum in divinis Scriptúris profecit, quod ipsemet testátur, mé-

thodum illi tradens, qua vetus Testaméntum, et Cántica canticórum utiliter légeret. Quare digna evásit, ut de institutióne puéruli fratris sui Isidóri natu minóris curam susciperet, quem lacte spiritus nutrire, atque in omni dógmate fidei instrúere una cum Leándro diligén-ter curávit. Tanto autem alacrióri cura sanctíssime instituéndum putávit, quanto ad id ex eo magis excitábatur, quod dum in cunábulis erat, viso exámine apum in os ejus ingredi, atque exinde égre-di, in coelúmque avolare, térrita quidam hoc esset, in oratióne pósita illum magnum Ecclesiæ doctórem futúrum intelléxit, qui hæréticos ab Hespériæ finibus erat propulsurus. Cumque in conjúgium a plúrimis procéribus expe-terétur, connúbia abhórrens, ac mundi illécebras et sæculi mores despiciens, sanctimoniális efficitur; florémque virginitátis Christo Jesu devovens, eum principem sibi elégit et sponsum.

℞. Propter veritatem.

Leccio v.

In monastério lectioni et orationi júgiter vacans, omni género virtutum caritátis, humilitátis,

paupertátis, et aliárum ádeo floruit, ut non solum quamplúrimæ virgines in odórem ejus currétes ipsi se súbderent, verum etiam plura virginum monastéria ejus directióri et custodiæ se tráderent. Tanti sanctus Leándre ejus sanctitatem et orationis efficiaciam habébat, ut duos libros in unum conflátos, quos pro ejúsdem et ipsius sodálium majóri profectu scripsit unum de contemp-tu mundi, álterum vero de institutióne virginum, ad illam mittens, talibus eam verbis álloqui non dubitáverit : Postrémo caríssimam te germánam quæso, ut mei orádo memineris, nec junióris fratris Isidóri obliviscáris. Certus sum quod flectat pro nobis aures divinas tua virginális oratio. Nec minor fuit opinio, quam de ejus sanctitate et doctrina sanctus Isidórus mérito hábit : eam enim, ex suimet educatióne et prima institutióne óptime recognóscens, volénsque áliquem fructum retribuere pro eo, quod ab ipsa recéperat, duos ei libros dedicávit, unum de nati-vitate Dómini, passióne, et resurrectióne, regno atque júdicio quem ipsa Florentina petente se con-

fecisse testátur, álterum de vocatióne Géntium. Cui etiam pollicétur se missúrum fórmulas spiri-tuális intelligétiæ, quibus in omni Scriptúra divina instruerétur.

℞. Dilexisti.

Leccio vj.

Intanta igitur sanctitate et doctrina florens, vidénsque in sancto Isidóro adimplétum, quod de ipso a Dómino intelléxerat, eum scilicet tam insip-nem doctórem ab ómnibus prædicári, ejus stúdio et doctrina Arianismum pénitus ab Hispania expúlsum, Hermenegildum consobrinum suum martyrio coronátum, et Reccarédum Hermenegildi fratrem ad catholicam fidem convérsam, Christi Jesu amóre languens, plena diérum, Astygi, ut fertur, in monastério sanctæ Mariæ de Valle obdormivit in Dómino. Sacrum ejus corpus Hispalim ex eódem monastério translátum, et in sanctorum fratrum monumento repósitum, ibi quíevit, quoad invadéntibus Saracénis Hispaniam, ad Guadalupénses saltus una cum corpore sancti Fulgéntii est deportátum. Póstea temporibus Alphónsi undécimi utrúmque sacrum

pignus in pago Berzocáno Placentinæ diocesis repertum fuit; ac demum, regnante Philippo secundo utriusque reliquiae divisae, partim in magnifico marmoreo monumento ibidem erecto fuerunt relictæ, partim Múrciam translatae, et juxta aram maximam honorifice collocatae, ubi magna cum populi veneratione coluntur. **R.** Afferentur.

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos, fratres. de Comuni.

Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laud. Vesperæ de sequenti, Commem. præcedentis.

DIE XV. MARTII.

S. Raymundi
de Fitero,

Abbatis, Fundat. Ord.
Milit. de Calatrava.

Duplex ij. classis.
Omnia de Comm. Conf.
non Pont. præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui beato Raymundo Abbati præliari proelia tua, et fidei inimicos superare dedisti: concede, ut ejus nos intercessione muniti, ab hostibus mentis et corporis liberemur. Per Dóminum.

Commem. præced. et Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones. Justus si morte. de Comuni. Extra Quadrages. de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.



Aymúndus, canonicus Ecclesiæ Turiasonensis in regno Arragoniæ, quo divina procul a mundi strepitu libèrius contemplaretur, supérno Spiritu afflante in solitudinem se recepit. Deinde cum Cisterciensium monachorum fama undequaque diffunderetur, illud amplexus est institutum, ac longe latèque evulgata ejus vitæ sanctimonia, Abbas monasterii beatae Mariæ de Fitero constitutus est. Postquam verbo et exemplo ad omne opus pietatis suos induxisset, copiosum exercitum fidelium colligit, castrum de Turrungen et Calatravam a Mauris tuendam de manu Sancti Castellæ regis suscepit, ac peritia rei militaris mirabiliter pollicens, Saracenos fugavit multasque urbes expugnavit. Novo et usque ad ea tempora inaudito exemplo Raymúndus monachatu militiam conjunxit. Ordinem militarem de Calatrava nuncupatum,

et in tota Európa celeberrimum ac a pluribus summis Pontificibus approbatum, instituit sub régula, légibus et visitatione Cisterciensium, ex quo alii ordines militares de Alcántara, de Christo, de Avibus, de Montésia, de Montefranco, de Montegaudio, et de Truxillo eidem religioni Cisterciensi subjehti prodierunt.

R. Honestum fecit.

Lectio v.

HÆC fuere prima sémina inclytæ militiæ, sub qua tot viri, tot principes, tot duces, tot etiam aliæ religiosæ militiæ profiterentur. Hujus novi ordinis milites, quamdiu a proelio abstinébant, adamussim observábant victum, vestitum, psalmodiam, contemplationem, opus manuum, silentium vigiliisque, ac denique mutuam quotidianorum defectuum proclamationem, ut nihil minus a monachis efficerent. Hinc præceptum est communi assensu, et deliberatione capituli generalis Cisterciensis, ut illius ordinis milites essent filii monasterii Morimúndi, utque Abbas et domus eadem in eos jus illud filiationis haberet, quale in Morimúndo nóscitur habere

Cistercium. Eidem militiæ beatus Raymúndus, ultra ipsam Calatravæ arcem et oppidum, plura alia loca et castra acquisivit.

R. Amavit eum.

Lectio vi.

TAndem vir sanctus utriusque militiæ, cœlestis et terrænæ, supremus ductor, post multas victorias, partas de Saracenis, plures de demone, post caputiatas galeas orbi inductas, cunctis fidei inimicis formidabiles post homines aptatos utriusque armis, qui et ad sonitum búccinæ leones, et ad tympani ictum agnos, illud in proelio, hoc in claustris imitaréntur, plenus dierum et virtutum, anno salutis millésimo centésimo sexagésimo tertio, et sexto regiminis ordinis a se inchoati animam emisit, multis post mortem miraculis illustris. Sacrae ejus corporis exuvia Tolétum translatae in monasterio montis Sion, auctoritate Pauli Papæ secundi, litteris datis die décima quinta mensis Martii, anno millésimo quadringentesimo sexagésimo octavo, super altaris aram ad Epistolæ cornu decenter collocatae fuerunt, additis a summo Pontifice indulgentiis iis,

qui eum locum devòte visitaverint.

R. Iste homo.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. Cap. 3.

In illo tempore : Dicebat Joannes ad turbas, quæ exhibant, ut baptizarentur ab ipso : Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

In Exhort. ad milites Templi.

Ipercùtere in gladio omnino fas non est Christiano, cur ergo præco Salvatoris contentos fore suis stipendiis militibus indixit, et non potius omnem eis militiam interdixit? Sed secùre dissipentur Gentes, quæ bella volunt, et abscondantur, qui nos conturbant. Exserat gladius uterque fidelium in cervices inimicorum ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, quæ est Christianorum fides; nequãdo dicant Gentes : Ubi est Deus eorum? Porro imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniant, quatenus armati et non

ornati, hostibus metum incutiant, non provocent avaritiam. Deinde non turbulenti, aut impetiosi, et quasi ex levitate precipites, sed consulte atque cum omni cautela et providentia seipsos ordinantes et disponentes in aciem, juxta quod de patribus scriptum est : Veri profecto Israelitæ procedunt ad bella pacifici.

R. Iste est.

Lectio viij.

AT vero ubi ventum fuerit ad certamen, tum demum pristina lenitate postposita, tamquam si dicerent : Nonne qui oderunt te Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescbam? Irruunt in adversarios, hostes velut oves reputant, nequam, etsi paucissimi, vel sævam barbariem vel numerosam multitudinem formidantes. Novérunt siquidem non de suis præsumere viribus, sed de virtute Domini Sabaoth sperare victoriam : cui nimirum facile esse confidunt, juxta sententiam Machabæi, concludi multos in manus paucorum, et non esse differentiam in conspectu Dei cæli liberare in multis et in paucis : quia non in multitudine exercitus est victoria

belli, sed de coelo fortitudo est. ¶ Ita denique miro quodam, ac singulari modo cernuntur et agni mitiores et leonibus ferociores : ut pene dubitem, quid potius censeam appellandos, monachos videlicet an milites, nisi quod utrumque forsitan congruentibus nominarem, quibus neutrum deesse cognoscitur, nec monachi mansuetudo nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, nisi quod a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? Tales sibi elegit Deus, et collegit a finibus terræ ministros ex fortissimis Israel, qui veri lectulum Salomonis vigilanter fideliterque custodiant, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi.

R. Sint lumbi.

Lectio ix. de Homilia Feriæ et ejus Commem. in Laudibus.

Si celebretur post Pascha, dividatur viij. Lectio ad signum.

DIE XVIII. MARTII.

S. Gabrielis

Archangeli.

Duplex majus.

Omnia ut in fine Breviarum.

EADEM DIE XVIII.

VEL ALIA DIE.

S. Braulii

Episcopi et Confessoris.

Duplex ij. classis.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq. (m. t. v.)

Oratio.

Cclésiã tuã Dõmine perpétuis tuẽ præsiðiis, quã beãti Braulii Confessoris tui atque Pontificis munire voluisti zelo, eruditiõne et exemplis. Per Dõminum.

Commem. præced. et

Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones.

Fidelis sermo. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio io.

Ex propria manu

Bened. XIV. Pontificis.

Ráulius Episcopus Cæsaraugustanus, quanta futurus esset sanctitate et doctrina, egregium ab ineunte ætate specimen dedit. Ab optimis enim parentibus pie et liberaliter institutus, adeo in excolenda virtute brevi profecit, ut morum gravitate et castimonia virum jam perfectum exhiberet. Litteris vero informandus sancto Isidoro Episcopo Hispalensi traditus, id primum esse assecutus, ut ab eo carissimi filii loco haberetur; tanti

deinceps illum fécerit, ut libros ei suos ad emendandum atque ordinandum commendaret. Aucta indies virtutis ejus opinione, ad archidiaconatus gradum provectus est; quod ille munus, ut Episcopi vices agentem decébat, strenue ádeo ac sapienter implévit, ut sacerdotio dignus omnibus videretur.

R. Inveni David.

Lectio v.

ITaque defuncto Joanne fratre, qui ex monachorum patre CæsarAugustæ factus Episcopus, litteris ac pietate claruerat, mira totius cleri populique divinitus excitati consensione, in ejus locum suffectus est. Primas inter suscepti ministerii curas servandæ tuendæque fidei ac disciplinæ eximium fuit illi studium et cura. Concilio Toletano quarto, a quo in posterum celebrandorum forma constituta est, inter illustres patres adfuit una cum Isidoro magistro olim suo egregie allaborans, cui deinde superstes, in Toletano quinto et sexto præceteris patrum fulsit, digniorque est habitus, cui actionum et canonum dirigendorum cura mandaretur. Quare cum aliis

operibus tum sacris canonicis clarus, a sancto Ildephonso celebratus est.

R. Posui adiutorium.

Lectio vi.

Ecclesiæ vero suæ non minus exemplo profuit, quam doctrina. Sui nempe severus exactor, et corpus jugi maceratione subegit, et a vitiiis animi prorsus continuit, elatione præsertim, quam tanta humilitate fregit, ut cum summa virtutum laude apud omnes claret, bellorum tamen et famis et pestilentiae aliasque suorum temporum calamitates veluti poenas sibi omnium nequissimo debitas profiteretur. Inter gravissimas curas et angustias semper invictus, nunquam a divini verbi prædicatione, a labore nunquam cessavit. Difficillimis quoque temporibus vetus templum, sanctarum olim Massarum nuncupatum, a fundamentis restituit. Tandem senio confectus, et magnus in Ecclesiam meritis, migravit in coelum, cum sedisset annos fere viginti. Ejus corpus post sexcentos ab obitu annos sancto Valerio Episcopo indicante repertum, in basilica sanctæ Mariæ quam de Columna vocant, ad

aram maximam translatum magna populi religione servatur et colitur.

R. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Lectio sancti Evangelii. de Communi.

Lectio ix. de Homilia et Comm. Feriæ in Laud.

DIE XXIII. MARTII.

B. Josephi Oriol

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequ.

IN I. VESPERIS.

Hymnus.

TE chorus, Joseph, speciosus ambit

Rite virtutum, Domino juvante,

Civibus faustos ubicumque tentas

Ponere gressus.

Impiæ noctis tenebris operata

Gesta priscorum veneranda patrum

Proferens terris, pietatis almæ

Sæcla redúcis.

Sublevans fratres miseros, et ipsis

Legis æternæ sacra jussa pandens,

Corpori aut ægris animis salutem

Sédulus affers.

Opii mores, puerique virtus

Indicæ gemmæ potior nitore!

O nitor mentis sacra qua sacerdos

Munera tractas!

Sit decus Patri, genitæque Proli,

Et tibi compar utriusque virtus

Spiritus semper, Deus unus, omni

Temporis ævo.

Amen.

V. Sacerdotes tui induantur justitiam. *R.* Et sancti tui exsultent.

Ad Magnif. Añ. Glória nostra hæc est, quod in simplicitate cordis, et in sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.

Oratio.

DEus, qui beatum Josephum Confessorem tuum mirabili abstinentiæ dono et curarum gratia decorasti: concede, ut a culpis abstinentes in terris, penitentiæ præmium assequamur in coelis. Per Dominum.

Commem. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Si Festum j. Vesp. non habuit, Hymn. Te chorus. jungitur cum sequenti ad Matut. sub una conclus.

Hymnus.

COrde præsagus procul ore casus

Temporis pandis tenebris amictos,

Pandis arcános hóminum
sub imo

Péctore sensus.

Incolas sanctos ímitans
erémi,

Quinque tu lustris opu-
lénta in urbe

Pané susténtas géridaque
lympa

Débile corpus.

Et choris vocem sócians
beátis

Tu Deum laudas táctis
sub horis :

Mortis inníxi láqueis sa-
lútem

Te duce quærunt.

Sive sit móestis adhibén-
da cura,

Sive discórdes júbeat lí-
gáre

Caritas cives, ades usque
præsens

Omnibus unus.

Sit decus Patri, genitæ-
que Proli,

Et tibi compar utriúsque
virtus

Spirítus semper, Deus
unus, omni

Témporis ævo. Amen.

In Quadrages. Lectiones
j. Nocturni de Comuni.

Post Pascha vero, de Scri-
ptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio 1b.

Joséphus Oriol Bar-
cinóne honéstis
paréntibus ortus,
et pia institutióne a téne-
ris annis imbútus, primum

puer in perínsigni templo
sanctæ Mariæ ad Mare
cleri et Sacrórum ministé-
riis addíctus, egrégium
innocéntiæ morum et se-
dulitátis exémpulum præ-
buit. Tum vero in lítteris
perdiscéndis ita óperam
pósuit, ut christianárum
virtútum exercitatióni
primum locum daret, ádeo
solitúdinis amans et a sæ-
culi voluptátibus abhór-
rens, ut in ipso juventútis
flore per septénnum vix
unquam e cubiculo suo,
nisi aut religiónis aut ne-
cessárii officii causa pe-
dem extúlerit. Ejus adhuc
adolescéntuli illibáta pu-
dicitia, quam esset Deo
grata, mirábili prodigio
patefactum fuit : nam
occúltam cuiúsdam con-
tra se suspicióne superé-
no lúmine persénsit, et
manus accénso foco ad-
movens támdiú eas ténuít
illæsas, dum se ab omni
labe purum tali experi-
ménto comprobávit. Do-
ctóris láuream in facul-
táte theológica adeptus,
nec multo post sacerdotío
iniciátus, quotidíanum
jejúnium inchoávit, quod
pane et aquæ potu con-
téntus, adjéctis intérdum
áliquot festis diébus her-
bis agréstibus, ad óbitum
usque perpétuo servávit.

R. Honéstum.

Lectio b.

SAcra Apostolórum
límina visitánde cú-
pidus Romam pédibus se-
cúntulit, ubi beneficio ec-
clesiástico parceciæ Bar-
cinonénsis sanctæ Mariæ
Regum, quæ de Pinu vul-
go nuncupáture, a summo
Pontífice Innocéntio un-
décimo auctus est. Revér-
sus in pátriam céteris be-
neficiáriis incitáménto
erat et admiratióni. Elucé-
bant in eosinguláris rerum
terrenárum contéptus,
sincéra ánimi demissio,
aspérrima córporis mace-
rátio, vigiliæ continuæ,
ut noctes e sella aut assé-
ribus, ubi ingrátum car-
pébat somnum, dato si-
gno consúrgens, fere in-
sómnes orándo tradúce-
ret : juge oránde et coelé-
stia contéplánde stú-
dium; et inde incénsus
Dei amóre, ut sæpe a
sénsibus alienátus in dul-
ci quodam excéssu consi-
steret. Martyrium vehe-
ménter expetens longin-
quam et periculósam per-
egrinatióne pro infidé-
lium conversiáne suscé-
pit, a qua plane divínus
revocátus est, ut effusa in
próximos caritate civibus
suis opitulári pérgeret.
Plúrimos ille consiliis sub-
ministrándis confessioni-
busque excipiéndis adju-

vábat; ægrotántes omni
ope et subsidio solabátur;
egénos reditibus suis in
eleemósynas erogátis sus-
tentábat : institútis étiam
ære próprio áliquot Sac-
rificiis pro animábus
páuperum defunctorum
offeréndis. Ipse autem vili
veste indútus incedébat,
et perangústum cubicu-
lum neque rebus ádmo-
dum necessariis satis in-
strúctum inhabitábat.

R. Amávit eum.

Lectio 1j.

TAM assíduum in alió-
rum calamitátibus
sublevándis stúdiúm cre-
bris signis ac prodigiis
divínus illustrátum fuit.
Nam innúmeros ægrótos
étiam insanabilibus mor-
bis opprésos, signo cru-
cis aut manus super eos
impónens, sanitati resti-
tuébat. Quæ grátia sana-
tiónum usque ádeo cele-
bráta fuit, ut sæpe ad
plura Cathaláuníæ oppida
vocátus accésserit, quam-
plúrimis jam desperátis
ægris certam opem latú-
rus. Céterum ad ecclésiám
sanctæ Mariæ de Pinu po-
tíssimum ingens languén-
tium multitúdo quotidie
confluébat, atque illius
benedictiáne cæci visum,
surdi auditum, muti lo-
quélam, claudi gressum
recuperábant: aliis morbis

affecti integram valetudinem consequébantur. In hac beneficentiæ et misericordiæ officia intētus, atque aliis cœlestibus dominis cumulātus, cum ad annum ætatis quinquagesimum secundum devenisset, et diem horamque obitus sui prænuntiasset, anno salutis millésimo septingentesimo secundo, die vigésima tertia Martii, ad Dómini amplexum quem ardenter concupierat, evolávit. Elátus honorífico fúnere et magno pópuli concursu, in sacello sancti Leopárdi, sui sacerdotii sede, religiose conditus fuit, post mortem item ut in vita miraculis clarus : quibus omnibus rite perpénsis, Pius séptimus Póntifex máximus Beatórum fastis illum ascripsit. **R.** Iste homo.

In iij. Nocturno, Homil. Sancti Evangélii, fratres. de Communi.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laudibus.

AD LAUDES,
Hymnus.

Ordinem nautæ stupuere versum,
Dum tumens æquor, rapidique venti
Indolem ponunt, citiúsque dicto

Se tibi subdunt.

Hæc mari quondam : stupuit patrata
Civitas omnis nova signa
terris :
Surge, dicébas moriénti,
et ille

Surgit et astat.
Ambulant claudi, rutilum
tuentur
Solis et lumen, quibus est
ademptum :
Cogis infirmi renuéntis
ægra

Membra valére.
Sédibus nunc tu superum
recéptus,
Sis memor nostri, pater
alme Joseph :
Sis tuæ genti plácidus
precámur

Súpplíce voto.
Sit decus Patri, genitæ-
que Proli,
Et tibi compar utriúsque
virtus
Spíritus semper, Deus
unus, omni

Témporis ævo.
Amen.

V. Ego in innocéntia
mea ingrèssus sum. **R.** Ré-
dime me et miserere mei.
Ad Bened. Aña. Solli-
cite curávit seipsum probá-
bilem exhibere Deo,
operárium inconfusibilem,
recte tractántem verbum
veritátis.

IN II. VESPERIS.
V. Rogo vos, imitátóres
mei estóte. **R.** Sicut et ego
Christi.

Ad Magnif. Aña. Misit
eum Dóminus evangelizá-
re paupéribus, et sanáre
contritos corde.

DIE XXIV. MARTII.
B. Didaci Josephi
a Gadibus

Confessoris.
Duplex majus.

Omnia de Communi
Conf. non Pont. præter
sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Di-
dacum Joséphum
Confessórem tuum sciéntia
Sanctórum decorásti,
et in salutem gentis suæ
mirábiliter direxísti : ejus
nobis intercessióne concé-
de, quæ pia, et recta sunt
sápere; ut ad regnum gló-
riæ tuæ feliciter perducá-
mur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones.
Justus. de Communi pri-
mo loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Didacus Joséphus,
ánteá Joséphus
Franciscus appel-
látus, Gádibus in Hispá-
nia, nobilibus, piisque pa-
réntibus natus est. Quam
esset sanctimóniæ laudem
consequutúrus, jam in
púero conjectáre licuit;
nocturno enim ad orándum
surgébat, summóque mane
ad templi fores áderat, ut

ad aram Sacerdoti
primus ministráret : corpús-
culum vero innocens fla-
gris, et ciliciis cruciáre
veluti in deliciis hábuit.
Adolésceus ob ingénni tar-
ditátem áditu ad Ordinem
Capuccinórum prohibitus,
eo impediméto oratióne,
et contentióne assídua su-
peráto, desidérii demum
compos est factus, ac vitæ
severiórís Hispali tiroci-
nium pósuit, exegitque
cum omnigenæ virtútis
fama. Votis solémnibus
nuncupátis, ac póstmó-
dum sacerdotio auctus,
quo sanctióri vínculo Deo
adhærébat, eo fervéntius
regulárum custódia, conti-
nuo precándi stúdio, sui-
que acérrima afflictatióne
ad perfectiónis fastigium
contendébat.

R. Honéstum.

Lectio v.

Apostólicum ministé-
rium, cui se geréndo
imparem reputábat, ex
obediéntia suscepit. Mox-
que, divino Spíritu robo-
rátus, Hispániam univérsam
obíre aggréssus est, pedéstri
semper itinere, túnica indú-
tus obsoléta, cibi, ac potus
abstinentissimus, nullis umquam
labóribus fractus. Vicos, ca-
stélla, urbes, studiórum
universitátes, régiam
ipsam divini verbi prædi-